Nos Drogomirus iudex et Andreas subiudex generales terre Cracouiensis. Notum facimus omnibus et singulis quibus expedit universis presentibus quod cum pro
tribunali sederemus in colloquio generali accedens ad nostram maiorem assessorum presenciam providus vir Martinus notarius alias Floriani viceprocuratoris
de Nepolomicz sanus mente pariter et corpore existens non compulsus nec coactus sed mera sua ac spontanea voluntate prout suam particulam
hereditatis situatam circa civitatem Veliczam tota dab. sic nuncupatam sibi ex paterna racione contingentem prout ipsa particula hereditatis prefata in suis limitti-
bus et graniciis circumferencialiter est distincta et limitata prout ipse solus tenuit et habuit ac tenet prout se iure legittimi dominii ibidem ves-
tiendo cum omnibus censibus qui ibidem sunt et inposterum possint adinveniri tam in domibus ortis pomeriis aquis decursibus graniciis rubetis
fossatis et aliis omnibus et singulis quibuscumque nominibus vocitentur providis ac famosis viris consulibus et toti communitati civium ibidem de Ve-
licza pro centum quadraginta marcis grossorum in Regno Polonie decurrencium numeri polonicalis quadraginta octo grossos facientibus rite ac racio-
nabiliter vendidit et titulo hereditatis perpetue resignavit et nichilominus honestus vir Johannes heres de Racoborsco notarius Floriani prefati frater
germanus eiusdem Marcini vendicionem et empcionem eandem volens impedire ad quam particulam hereditatis prefatam se proximiorem ex paterna
racione asserebat ipsos providos viros ac honestos consules et cives de Velicza citare pro eadem particula hereditatis procuravit
quo ipse et termino pendente inter ipsum Johannem consules ac cives prefatos ipse Johannes predictus de hoc seculo divino permittente temporalem vitam
mutavit in sempiternam et demum honesta ac generosa domina domina Katherina relicta eiusdem Johannis cum orphanis suis seu pueris Johannis
eiusdem videlicet Nicolao Stanislao Michaele et Katherina heredibus de Racoborsco causam eandem prosequi volentes ipsos consules et cives
de Velicza pro eadem particula hereditatis prefata iudicialiter convenire procuraverunt quo termino ipsis posito et assignato ex questione mo-
ta inter ipsos hii idem honesti ac famosi viri consules et cives ante commemorati pecuniam eandem videlicet centum quadraginta marcas
grossorum quas pro particula hereditatis dederant comparando ipsis reddi et exsolvi a heredibus prefatis petebant et nichilominus ipsa domina prefata
domina Katherina cum filiis suis premonita forum factum et contractum inter eundem Martinum et ipsos famosos ac honestos viros
consules et cives sepefatos publice et manifeste et pecuniam eandem receptam recognovit. Nos vero decrevimus easdem cen-
tum quadraginta marcas grossorum prefatas per ipsum Martinum receptas eisdem providis viris consulibus ac civibus prefatis qui procunt
fuerint infra diem et annum precium adire exsolvere cum effectu quibus exsolutis eandem particulam valeant possidere alias solvere pecunias
easdem minime valuerint extunc ipsis consulibus et civibus prefatis particulam hereditatis eandem dominio cum toto et iure hereditario
ac perpetuo adiudicavimus tenendam habendam castinendam per ipsos consules et cives prefatos prout ipsis et suorum successorum
consulum et civium predictorum libere voluntatis fuerit convertendam ipsis vero Katherine Nicolao Stanislao Michaeli et Katherine
prefatis de questione premissa perpetuum silencium imponentes. In cuius rei testimonium nostra sigilla presentibus sunt appensa. Datum Cracouie feria sexta
in crastino sancti Viti anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo nono presentibus dominis Johanne castellano Dobeslao palatino Dobrogostio
decano Mscigneo subcamerario Bodzatha procuratore Cracouiensi Johanne palatino Lanciciensi et aliis fidedignis.

Partis [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Gabriel [illegible]

[illegible]

1.3.7.9 ♏ 16.

[illegible] Seder et [illegible]

[illegible]

[illegible]